



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense**

**Mader, Joachim Johann**

**Helmeſtadi, 1665**

Fvndatio Monasterii Canonicorvm Regvlarivm In Kyrbgarten Prope  
Wormatiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11088**

FVNDATIO MONASTERII CANONICORVM  
REGVLARIVM IN *Kyrbgarten* PROPE  
WORMATIAM.

**A**Nno Domini *MCCXXXII*. fundatum est monasterium ortus gloriosæ virginis Mariæ prope urbem Vangionum nominatum *Kyrbgarten* per reverendissimum & gratiosum Dominum *Henricum* Comitem de Saraponte, Episcopum Wormatiensem, pro monialibus Cisterciensium, &c. Anno autem Domini *MCCCXLIII*. reformatum est præfatum monasterium, à monialibus Cisterciensibus desolatum, per Canonicos regulares, opera Domini gratiosi *FridERICI Posenec* Episcopi Wormatiensis, ac Illustrissimi Principis Electoris *Ludewici*, comitis Palatini.

FVNDATIO MONASTERII S. WALPVRGÆ IN  
SACRA SILVA

**A**Nno Christi millesimo septuagesimo quarto, ætate *Gregorii VII.* & *Heinrici III.* fundatum est à *Theodorico* Comite montis Peligardi cœnobium S. *Walpurgis*, ordinis D. *Benedicti*: cujus Abbati *Bertolfo* post plurimos annos *Fridericus* Sueviæ Dux cum uxore *Judenta*, donavit prædia, quæ intus & extra forestam, quæ *sancta* nuncupatur. *Bertolfus* primus Abbas hujus loci fuit; *Wolfgangus* secundus; *Dietmarus* tertius; quartum invenire non poterant, quo nomine dicitur. Item, quæsitum est in antiquissimo martyrologio hujus loci, & nullus inventus est Abbas qui *Wolfframus* dictus sit, quamobrem arbitrantur *Wolfgangum* esse, & erratū esse in nomine. Item, ante primum Abbatem *Bertolfum* leguntur longe fuisse duo monachi in hoc loco, qui fundatores primi in martyrologio dicuntur: sic cum legitur *Vvibertus* monachus primus fundator hujus loci obiit v. Kal. Augu.